

of non-Romans, they did not set them into compartments of separate ethnicities.”), Gruen’s exploration is very harshly limited by this precondition. In terms of Roman discriminatory speech about foreign groups, it hardly matters whether they used “compartments of separate ethnicities” or not. In short, Gruen’s overall conclusions are crucially circumscribed by his selection of case studies and should not be seen to represent a balanced basis for a broader set of claims about the role of ‘ethnicity’ in ancient meaning-making.

Antti Lampinen
Nordic Library at Athens

Inscriptiones Graecae. Consilio et auctoritate Academiae Scientiarum Berolinensis et Brandenburgensis editae. Vol. X : Epiri, Macedoniae, Thraciae, Scythiae. Pars 2: Inscriptiones Macedoniae. Fasc. 1: Inscriptiones Thessalonicæ et viciniae. Suppl. 2: Addenda, indices, tabulae. Ediderunt DESPOINA PAPAKONSTANTINOU-DIAMANTOIROU – ELENA MARTÍN GONZÁLEZ – KLAUS HALLOF. De Gruyter, Berlin – Boston 2021. ISBN 978-3-11-071236-0. I–XI, 555–808 pp. EUR 350.

Inter *Inscriptiones Graecas* editas ab Academia Scientiarum Berolinensi et Brandenburgensi titulos Thessalonicenses ediderunt a. 1972 C. Edson in voluminis X partis II fasciculo I et deinde a. 2017 P. M. Nigdelis in eiusdem fasciculi supplemento I (de quo dixi *Arctos* 51 [2017] 239–241). Hoc supplementum secundum, quod rerum epigraphicarum studiosis erit utilissimum, constat ex partibus duabus, scilicet ex addendis ad titulos propositos in fasciculo I et ex indicibus copiosissimis pertinentibus ad titulos tam Edsonianos quam Nigdelianos, id est ad titulos n. 1–1673. In fine operis sunt imagines photographicae aut delineatae (vel sim.) titulorum a. 1972 editorum; editio enim Edsoniana paucis tantum imaginibus est illustrata. Ceterum v. quae de hoc supplemento in universum scripserunt iidem Martín González et Hallof, *Tekmeria* 15 (2019–20) 227–248.

Quod ad addenda in hoc volumine proposita attinet, notandum est in iis memorari non solum – praeter lectiones vel interpretationes novas – libros ad titulos singulares pertinentes novos, sed nonnumquam etiam libros quosdam ante a. 1972 editos sed in editione Edsoniana nescio qua de causa omissos (e.g. 103, 105, 147, 171, 192, 199, 200, 515, 572, 593, 679, 1018). Ad quosdam titulos addenda non proponuntur (e.g. 339–342, 344–345, 347–349) aut non refertur nisi ad imagines photographicas (e.g. 687, 689, 693). Contra ad titulos quosdam laudantur non tantum addenda sed etiam ipsa tituli verba, in iisdem addendis correcta (e.g. 22, 26, 259, 261, 589 [“Tit. denuo repertus”], 674, 779, 793, 797, 804; cf. Á. Martínez Fernández, *Minerva* 36 [2023] 260). De aetate, cui tituli singuli sint attribuendi, in addendis raro disputatur (at vide e.g. 148, 351, 430, 442, 522, 525, 545, 559, 571, 572); ita apparent auctores huius voluminis de aetate titulorum cum Edsonio plerumque consentire.

Spatium mihi non sufficeret, si omnes emendationes in addendis propositas enumerare vellem; haec correctiones tamen mihi videntur notabiliores: **58**: bene ad titulum monetur nomen Λουκίολος non esse corrigendum. **80**: pro Σίγνιος lege Σιγνῖος (nomen ductum ex Signia, oppido in Latio sito). **110**: pro Ὀκελλιανή lege Ὀκελλīνā. **137**: verba ὑπέρ τῆς (imperatoris Pii) σωτηρίας καὶ [τύχης καὶ δια]μονῆς bene corrigitur in ὑπέρ τῆς ... σωτηρίας καὶ [αιωνίας δια]μονῆς. **180**: pro Ἡλιοδώρων ... ἐκγονον lege ἐκγόνην, ita ut appareat scriptorem tituli non esse usum vocabulo ἔγγονος ut vocabulo etiam feminini sexus. **269** (v. iam *Tekmeria* 15 [2019–20] p. 238): litterae incertae post Κορνηλίᾳ iam leguntur Ἰουκούνδῃ τῇ πατρῷ[νίσσῃ]. **319**: pro Σεττίᾳ lege Σεξτίᾳ. **382**: pro Δικετίᾳ lege Δικετίᾳ (nomen alioqui ignotum). **452**: pro Παπίᾳ Πρεσβυτερῷ lege Παπίᾳ πρεσβυτέρῳ; apparet M. Cassium Severum *seniorem* habuisse etiam cognomen *Papias*. **791**: pro Μαρτυρίου στρ[ατιώ]τῃ Λατιανοῦ lege Μαρτυρίου στρατηλατιανοῦ (vocabulum ductum de στρατηλάτης, i.e. *dux*); significatur “miles subpositus duci” (versio proposita in commentario). Saepius corrigitur locus accentus, v. e.g. 208, 217, 492, 502, 542, 544, 686, 805.

In quibusdam addendis mihi videtur posse addi vel mutari vel corrigi quaedam. Nota e.g. haec: **21**: fragm. abc, v. 5: e.g. *{--- gratias ag]ere volen[tes] --- J.}* **89**: Καικίλιαι Πώλλαι Σαράπιδι eqs.: mihi certe veri non videtur simile significari duas eiusdem dominae libertas; potius cogitaverim de littera *iota* “parasitica”, ut in titulo 686 legimus ζῶσαι pro ζῶσα, ita ut intelligenda sit femina una sola Καικίλια Πώλλα. **103**: cum mulier nomine Cerrenia (ita scripserim pro *Cerinnius*) posuit non hunc titulum sed qui sequitur, observatio de “*Cerinniis*” videtur pertinere ad titulum 104. **133**: Εἰούλειος videtur esse scriptum aut pro Ιούλιος aut pro Ἡιούλιος (*Heioleius/Heiuleius*), quod nomen reperitur in insula Coo. **142**: de Licin(n)io Rufino iuris consulto celebri non refertur nisi ad commentarium ad *I. Beroia* (1998) 101. At potuerunt addi e.g. quae scripserunt F. Millar, *Government, Society, & Culture in the Roman Empire*, Chapel Hill 2004, 435–464, et P. Herrmann, *Kleinasiens im Spiegel epigraphischer Zeugnisse*, Berlin – Boston 2016, 185–198 (etiam aliis quibusdam locis potuerunt laudari opera quaedam tractantia res Romanas in universum, e.g. *P(rosopographia) m(ilitiarum) e(questrium)* M 49 ad n. **146**). **218**: cum nomen *Aupronius* alibi nusquam inveniatur, videndum, num Αὐπρωνίαν sit inscriptum errore pro Αὔτρωνίᾳ, praesertim cum Autronii in titulis Thessalonicensibus memorentur (nn. 226, 1354). **241**: nescio an pro nomine Τάκιος (A I, v. 9 et 35) quod alibi non memoratur possit cogitari de lectione [Προ]τάκιος, quod nomen legitur in titulo n. 244 et etiam ex aliis titulis notum est. **262**: fortasse [Πομέ]ντειν ρούφω; nomen gentilicium *Pomentinus* in Macedonia notum est Dyrrachii (*I. Albanien* 56 et 157; AE 2011, 1181). **371** et **372**: Νέος cum sit praenomen huius Numisii (cf. Cn. Numisios *CIL VI* 13344; 23123; XI 7756; alibi), i.e. Ναῖος (= Γνᾶος; cf. librum meum *Die römischen Vornamen*, Helsinki 1987, 29sq.), melius erat notari accentu circumflexo (cf. n. 819, B 1). Praeterea praenomen hoc in indice p. 712 inter Gnaeos desideratur. **385**: de genitivo *Flaviaes* cf. *Seiae* n. 701 et in universum e.g. J. N. Adams, *Bilingualism and the Latin Language*, Cambridge 2003, 473, 479–483.

599: de Ἀνδριανῆς = Ἀδριανῆς (ut vidit Nigdelis) cf. viam Αδριανού Athenis, quae nonnumquam dicitur Ανδριανού. **661,** titulus veterani, *qui militav(it) in praetorio in c(o)horte prima*: ad titulum male laudatur C. vom Brocke, *Thessaloniki – Stadt des Kassander und Gemeinde des Paulus*, Tübingen 2001, 84 adn. 57, qui putat agi de praetorio quodam extra Thessalonicam (“ein auswärtiges Prätorium”). At *militare in praetorio* significat militare Romae inter praetorianos (ut legimus in diplomatisbus militaribus – e.g. *CIL XVI* 95, 98 – datis praetorianis honesta missione missis (*milites*) *qui in praetorio meo* [loquitur ipse imperator] *militaverunt*; cf. e.g. *CIL VI* 210, 2617; III 11095). Praetorianus Romae olim fuerat etiam veteranus in titulo n. 705 memoratus, qui dicit se militavisse ἐν πραιτωρίῳ (etiam de hoc titulo errat vom Brocke, p. 83sq. adn. 57). **666:** pro “liberi imperatorii” lege liberti imperatorii. **855** Ματ[ε]ΐα Κουΐντα: Ματ[ε]ΐα (cur non Ματ[τ]εΐα?) sine dubio non est nomen quoddam Thracicum sed nomen gentile Romanum *Matia/Mattia* (de forma Ματεία, si ita olim inscriptum erat, cf. Αἴλειος in titulis nn. 406 et 531, Καμέρειος 1248). Mattii reperiuntur Parii (*I. Parion* 56) et ut videtur etiam Amphipoli (*SEG 39*, 571). **914:** nescio an possit cogitari de lectione Τ. Γεγάνιος Τ. νιός (cf. Geganius in titulis 495 et 980). **920:** Ἀμπιανός cur intellegi debeat Ἀππιανός, ut voluit Mihailov, non video; Ἀμπιανός derivatum est de nomine Latino *Ampius*, quod reperitur Amphipoli (*SEG 48*, 716 ter; de gentiliciis in -ιανός derivatis de nominibus finientibus in -ius v. *Arctos* 18 [1984] 97–104).

Ut supra iam scripsi, indices plus centum paginarum, quos compositus K. Hallof praeter grammaticum, qui debetur Jacobo Curbera, sunt copiosissimi et utilissimi. Inter indices reperitur etiam index verborum Latinorum, id est verborum quae in titulis Latine scriptis leguntur (p. 789–791); in huius fine enumerantur verba Latina quae leguntur in titulis Graecis (e.g. διάριον, βενεφικιάριος, βικάριος etc.). Ita *verba Latina* in titulis Thessalonicenses obvia facile invenientur. At quod ad *nomina Latina* attinet, quae reperiuntur in titulis cum Graecis tum Latinis, ea omnia reperiuntur in indice virorum et mulierum (I, p. 705–738) ita, ut nomina Latine scripta memorentur eo loco, ubi eadem nomina Graece scripta aut enumerantur aut enumerarentur, si in titulis Graecis apparerent. Ita, cum e.g. *Quietus* saepius reddatur Graece Κυῆτος, *Valerius* Οὐαλέριος, homines nomine *Quietus* reperiuntur sub littera *kappa*, Valerii sub littera *omicron*, ubi reperiuntur etiam omnes Βαλέριοι. Sed de quibusdam nominibus potest ambigi, quibusnam locis sint inserenda in laterculo facto secundum ordinem alphabeticum Graecum. Ut duo exempla proponam, Thessalonicae memorantur homines qui habent nomina Μεινάτιος et Μονδίκιος; haec nomina in indice reperiuntur ita, ut Μεινάτιος sit positum inter nomina Μεγιστή et Μεινία (p. 725), Μονδίκιος inter Μον- et Μονταν-. At cum haec nomina Latine scribantur *Minatius* et *Mundicius* et Graece etiam Μινάτιος (*ID 1520*) et Μονδίκιος (ita saepius fit Athenis et alibi), sequitur ut haec nomina ab iis, qui *Minatius* et *Mundicius* Thessalonicenses querunt, non ita facile inveniantur. Similes difficultates illustrantur etiam e.g. nomine Βιήσιος. Suntne Latine *Biesii* aut *Viesii*? Hic ita factum est, ut Βιήσιος Φήλιξ (n. 58) positus sit sub littera *beta* (p. 711), Κόιντος Βιήσιος Ἀνθος (n. 1210) sub littera *omicron*

(p. 728). Haec omnia considerans proposuerim, ut futuris *Inscriptionum Graecarum* voluminibus, praesertim iis, in quibus nomina Latina abundant, addatur laterculus nominum Latinorum litteris Latinis scriptus, in quo referatur ad formas eorundem nominum Graece scriptorum, ut e.g. “*Valerius: v. Οὐαλέριος*”.

Ad accentus nominum Latinorum Graece scriptorum quod pertinet, in nominibus finientibus in *-vius* ut *Flavius Fulvius*, quae Graece redduntur aut ΦΛΑΟΥΙΟΣ ΦΟΥΛΟΥΙΟΣ aut ΦΛΑΒΙΟΣ ΦΟΥΛΑΒΙΟΣ, mihi certe videtur accentum semper esse ponendum in eadem syllaba, ideoque ipse scripserim semper cum Φλάβιος Φούλαβιος tum Φλάουιος Φούλουιος; nam litteris <ou> indicatur non vocalis sed consonans. Contra hic recte factum est, cum nomina finientia in *-ειος*, sed Latine finientia in *-ius* (ut supra Αἴλειος) accentum habeant in syllaba quae praecedit suffixum (e.g. Ὄμβρειος = *Umbrius*), cum nomina finientia in *-ειος*, Latine *-eius* (*-ēios*) accentum habeant supra litteram *epsilon* (e.g. Φοντέιος = *Fonteius*; paulo aliter Ἀπουλέιος p. 708). Extra Thessalonicanam tamen haec nomina saepius scribuntur cum *eta* (e.g. Πομπήιος).

At ut iam finem faciam huic censurae, concludendum mihi videtur esse hoc, agi de libro magnifico, utilissimo non tantum investigatoribus rerum Thessalonicensium sed etiam studiosis titulorum Graecorum in universum. Scriptoribus huius libri non possum non gratulari.

Olli Salomies

Universitas Helsingiensis

JONAS LEIPZIGER: *Lesepraktiken im antiken Judentum: Rezeptionsakte, Materialität und Schriftgebrauch*. De Gruyter, Berlin – Boston 2021. ISBN 978-3-11-073762-2; ISBN (e-book) 978-3-11-073276-4. XVI, 482 pp. EUR 99.95.

Jonas Leipziger's monograph concentrates on one major issue, which leads to another equally major one. The first issue concerns the uses of texts, some of which would later form the Bible, and their oral forms. This leads to a discussion of the nature of Judaism, and the interaction between text and culture. As he rightly understands, the two depend on each other, and this greatly adds to the depth of his analysis. The status and influence of rabbis also receives considerable attention, the scarcity of rabbis, Leipziger argues, having a marked impact on reading practices in the Western Diaspora. Leipziger describes the aim of the work as providing the broadest possible picture of Jewish reading practices in Antiquity, and he indeed succeeds in doing so. Leipziger's main talking points include what was the authority of the texts, how were they transmitted and what kind of temporal and spatial variation can be traced. The question of languages is also covered.